

expedire. Heredem autem meum instituo dominam Rangburgim neptem meam in bonis meis patrimonialibus sibi iam deputatis ac etiam per nobilem virum dominum arnwidum gøzstafson maritum suum et ipsam acceptatis, Sed vt premissa omnia et singula exequcioni debite demandentur, Exequutores huius mei testamenti constituo Reuerendos patres Dominos vpsalensem, qui nunc est et suos successores qui pro tempore fuerint, et dominum fratrem Jsraelem Arosiensem Episcopum, necnon nobiles viros dominos. Byrgerum pætersen consobrinum meum quandoque vplandiarum legiferum et arnwidum gøzstafson generum meum prenotatum vna cum domino berone de tyllingi Canonico vpsalensi, qui si omnes hiis exequendis interesse non poterint seu noluerint, tres uel duo ipsorum nichilominus predicta omnia efficaciter exequantur, Vt autem hec mea ordinacio seu legacio, facta causa mee vltime voluntatis perpetuis temporibus conseruetur, eandem personaliter in Ecclesia vpsalensi, publicauit in quinta feria ebdomade pentecostes coram testibus seu firmariis vlgariter dictis faster infrascriptis ad hoc specialiter vocatis et rogatis, videlicet, Berone ingulfson, Andrea Jonsson, Siggone Ingimarson, Johanne dicto dyakn, Petro sighridæson, Laurencio blidhuson, Johanne dyst, Nicholao in vggæstum, Jacobo in grytum, Petro olafson, Guduasto in gestrikælandh, Siggone erikson. Laurencio gunnarson, Laurencio baralson, Johanne in forsum, Petro de sætunum Johanne thomasson, haluardo in aby, Petro in vilingy, holmuasto in nyæby, Magistro thydemanno, Thyegnero, Johanne pauelsmagh et thoma pictore. In presmissorum igitur robur et euidenciam pleniorum Sigillum meum vna cum sigillis discretorum virorum, aliquorum testium prescriptorum, videlicet, Beronis ingulfson, Andree Jonsson, Petri olafson et Magistri Thydemanni presentibus est appensum. Actum et datum, Anno, Loco, et die supradictis.

*På fränsidan:* Testamentum prepositi andree. in quo legat ecclesie vpsalensi insulam vpsalie cum edificiis. Jtem III. marchas cum V solidis terre et vno vrfyal kogganæs. et molendino ibidem. Jtem in nanathunum. II. marchas cum XIII. solidis. jtem opidum dictum quærnabodhe. scilicet VIII solidos V denariis minus. cum molendino ibidem. Jtem in guthasundhe. II. oras, jtem in villa lwi in resbohundare XIII oras terre.

Sigillen frånfallna; remsorna kvar.

2056.

1316 d. 3 Juni.

Upsala.

Domprosten ANDREAS utfärdar särskildt gåfvobref på de gods, han i föregående testamente upplåtit åt Upsala domkyrka, och meddelar fasta vid tinget på samma gåfva.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Vniuersis presentes litteras inspecturis, Magister ANDREAS prepositus ecclesie vpsalensis salutem in domino sempiternam, Vniuersitati vestre notum

facio per presentes quod insulam meam vpsalie cum edificiis omnibus et officinis ibidem et in ampne prope positis, necnon et predia infrascripta per me conquisita videlicet in sæwium tres marchas cum quinque solidis terre, cum vno vrfiel cogganes et molendino ibidem quem tamen vrfiel cum molendino et prato inter stagnum et fossatum michi retineo ad dies meos, In nanætunum duas marchas cum quatuordecim solidis terre, volens vt ad tenendum anniuersarium karoli gregorisson quondam generi mei chorales in insula annis singulis sint astricti, Item quoddam opidum dictum kwernæbøle in parochia ladhubý computatum pro octo solidis terre, quinque denariis, minus cum molendino ibidem, Item in gutasunde, duas oras terre, et in villa huwi parochia resbohundæri quatuordecim oras terre, Ecclesie vpsalensi, dono, approprio et assigno, iure domini in perpetuum possidenda, cum omnibus suis attinenciis, fundis domibus, agris, pratis, siluis, pascuis, piscariis et ceteris quibuscumque. Premissa omnia et singula ex nunc ordinacioni. Reuerendi patris domini vpsalensis, et honorabilium virorum dominorum Capituli ecclesie eiusdem relinquens, ita tamen, vt ipsi bona eadem disponant ad vsus choralium sepedicte ecclesie, in prefata insula communiter viuere volencium prout anime mee saluti, ac eorundem conuictui nouerint expedire, vt autem hec mea donacio legibus patrie confortetur et futuris temporibus robur optineat firmitatis eandem personaliter vpsalie puplicani in Ecclesia vpsalensi, presentibus quamplurimis fidedignis, in quinta feria ebdomade pentecostes. Testes eciam seu firmarios wlgariter dictos faster ad hoc specialiter vocari et nominari feci infrascriptos videlicet. Beronem ingulfson. Andream Jonsson. Siggonem ingimarson, Johannem dýakn, Petrum sighridæson, Laurencium bliduson Johannem dýst, nicholaum in vggæstum, Jacobum in grýtum, Petrum olafson. Gudvastum in gestrikæland, siggonem erikson. Laurencium gunnarson, Laurencium haralson. Johannem in forsum, Petrum de sætunum, Johannem thomasson. Haluardum in abý. Petrum in vilingý, Huluastum in nyæbý, Magistrum thýdemanum. Thýgenerum, Johannem pauelsmagh, et thomam pictorem. In premissorum igitur robur et euidenciam pleniorum sigillum meum. vna cum sigillis discretorum aliquorum testium prescriptorum videlicet. beronis ingulfson. Andree ionson, petri, olafson et magistri thýdemanni, presentibus est appensum. Actum et datum. Anno domini. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XVI<sup>o</sup>. loco et die supradictis.

*På fränsidan:* Littera ista continetur in testamento prepositi andree.

Sigillan N. 1 och 4 bortfallna, remsorna kvar; 2 och 3 (adliga) mycket skadade.